

Ad Q. Curtium Rufum.

Hist. Alex. M. VI 4, 22 *Frequens arbor faciem quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur.* Hoc mel, sive mannam dicere mavis, cum teste Plinio hist. nat. XII 8, 18 nisi matutinis horis non manaverit, ante *multo melle* suspicari licet *mane* scriptum fuisse. Haud raro enim errore in Curtii libris verborum, quae a similibus syllabis litterisque incipiunt, alterutrum intercidit. — Fortasse his quoque locis simile mendum latet. VI 10, 28 (Haimon) *qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suae insidiati sunt, latere patietur.* Nusquam Curtius *dignari* cum accusativo iunxit. Nonne igitur hic quoque ante *neminem* infinitivum *nominare* excidisse putabimus? Cf. IV 7, 25 *regem propius aduentem maximus natu e sacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi parentem Iovem reddere adfirmans.* — VI 10, 31 *Parum est enim tot modo liberum parentem, in unico filio adquiescentem, eo quoque orbari.* Mirum esset, si Curtius, qui contraria inter se contendere solet, vocolae *modo* non opposuisset *nunc*, quod post *unico* facile omitti potuit. Nam ne quis similem praetendat locum, qui est VI 9, 27, caret omnino accurata verborum contentione hoc enuntiatum: *qui modo duobus filiis orbatus cum eo, quem reliquum calamitas fecerat, absens diceret causam.* — VII 3, 13 *Multos examinavit rigor insolitus nivis: multorum adussit pedes, plurimorum oculos.* Audacius videtur *adussit*, quod recte dicitur de pedibus, ad oculos referre quam post *oculos* addere *occaecavit.* — VII, 10, 10 *Inde Bessum Ecbatana duci iussit, interfecto Dareo poenas capite persoluturum.* Re vera prope Ecbatana Dareum interfectum videri Curtio, id quod dubitanter dicit Vogelius, satis elucere arbitror comparato cum illo, quem supra posui, eo loco, qui est VII, 5, 43:

supplicium eius (Bessi) distulit (Alexander), ut eo loco, in quo Dareum ipse occiderat, necaretur. Quod si ita se habet, inter iussit et interfecto inserendum est ibi.

VI 9, 26: *Repente ne reum quidem, sed iam damnatum, immo vinctum intuebantur.* Agitur de Philota religatis manibus in militum contionem inducto. Immo deest in Parisino. Qui igitur huic libro principem inter codices Curtianos locum tribuit, ei facile persuadebitur, *vinctum* non ab ipse scriptore positum sed postea explicandi causa vocabulo *damnatum* additum esse. Sed ne ii quidem, qui ceterorum codicum consensum Parisini testimonio potiore habent, hunc locum recte traditum esse evincant. Certe transpositis verbis legere praestat *vinctum, immo damnatum*. Damnari enim scriptori non levius visum esse quam vinciri apparet ex VI 10, 4: *quamquam vincti hominis . . . invisa defensio est, . . . tamen . . . memet ipse non deseram nec committam, ut damnatus etiam mea sententia videar.*

VII 5, 10: *duo occurrunt utribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse et aegre pati scilicet non ignorabant, occurrerent.* Nulla re magis corruptos esse Curtii libros, quam quod librarii oculi ab uno versu ad alterum aberrarunt, docuit Vogelius. Idem error illi loco videtur subesse; nam veri dissimile est Curtium scripsisse: *occurrunt, ut occurrerent*. Latet nisi fallor verbum *offerrent*, quod eodem modo usurpatur in iis, quae proxime sequuntur, enuntiatis. Solet autem Curtius in singulis operis partibus singula quaedam verba frequentare, velut initio libri VI excipiendi verbo utitur sexies.